



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quis probare debeat in judicijs communibus, & quomodo probationes utriusque partis litigantis fieri, & recipi debeant in interdicto retinendæ possessionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Judice juramentum probationis loco Reo deferatur, quod accipere debet. Et quamvis ille, qui absolute negat factum aliquod, non teneatur probare: eò quod *juxta c. Bona. 23. De elect.* negantis factum per rerum naturam (sive secundum cursum naturæ loquendo) nulla sit probatio, & non entis nullæ sint differentia; proprietates, definitiones, &c. ex quibus probationes desumi debent, potest tamen nonnunquam per juramentum proprium delatum, propositio etiam negativa probari; vel per præsumptiones, ita ut saltem onus probandi in adversarium rejiciatur; vel quod super negativa propositione fundat intentionem suam allegans; vel per negantis propriam confessionem, si tamen talis confessio probatio dici potest. Quin imò, si propositio negativa facti determinata sit, ad certum locum, tempus, vel alias circumstantias potest probari saltem indirectè, circumstantias tales, quæ sub sensum cadunt, probando; (& sic qui asserit, se tali tempore in loco tali non fuisse, probat negativam, se non occidisse talem in tali loco, se cum hoc non contraxisse tali tempore, &c.) vel si propositio negativa facti prægnans sit, virtualiter saltem & implicitè propositionem affirmativam continendo, directè etiam ea probari potest, quo modo probat, se non liberè renunciâsse, qui probat coactum se renunciâsse; vel quando contra juris præsumptionem negatur in aliquo qualitas de jure requisita, quod probari debet, quia quilibet præsumitur esse idoneus, nisi contrarium probetur.

¶(o)¶

§. III.

Quis probare debeat in judiciis communibus, & quomodo probationes utriusque partis litigantis fieri, & recipi debeant in interdicto retinendæ possessionis?

IN Judiciis communibus, sive duplicibus (cujusmodi sunt hæc tria *Famulæ herciscundæ, Communi dividundo, & Finium regundorum*) uterque litigantium probare debet, quia quilibet sicut Actor & Reus est, prout habetur in *Inter. 44. §. Qui familia. 4. ff. Famulæ herciscundæ. Et c. Ex literis. 3. b. t.* tamen, ut qui prior ad iudicium provocavit, magis Actoris, quàm Rei locum habeat, & prior de calumnia juratus debeat.

In interdicto retinendæ possessionis, quando utraque pars contendit, se in solodum possidere eandem rem, uterque Reus & Actor est, & utriusque probationes à Iudice recipi debent, cum possessionis, tum tituli, si offerant se ad illum probandum, ut exinde appareat, pro qua parte pronuntiandum sit, præsumitur ex *c. Licet causam 9. b. t.* vel ut appareat, quis habeat possessionem antiquiorem.

§. IV.

Vtrum Reus teneatur exhibere Actori ad probandam intentionem ejusdem instrumenta, seu documenta contra se? Et an Actor, quando plene probatus, cogi possit ad jurandum?

REUS in iudicio conventus non tenetur exhibere propria instrumenta Actori contra se, ad fundandam illius intentionem.